



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.  
Thomam De Beatitudine. De Actibus HUMANIS. De  
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.  
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

**Lessius, Leonardus**

**Lovanii, 1645**

Dvb. 4. Quomodo differat contritio propriè dicta ab attritione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

D V B I V M. IV.

Quomodo differat Contritio proprie dicta ab Attritione?

10  
Divisio  
Contritio-  
nis, in per-  
fectam &  
imperfectam.

**N**otandum Primò: Contritionem generatim acceptam, de qua haecenus, diuidi in duas species; in Contritionem proprie dictam, & Attritionem. Colligitur ex Concilio Trident. sess. 14. cap. 4. ubi ait Attritionem esse imperfectam contritionem. Et quamuis, strictè loquendo, solus ille dolor, qui est de peccato, vt est offensio Dei, procedens ex imperfecta dilectione, dicatur imperfecta contritio, eò quòd circa idem obiectum formale versetur, tamen generatim omnis Attritio vocatur à Concilio, Contritio imperfecta.

11.  
Contritio  
perfecta.

Notandum Secundò: Contritionem proprie dictam, quæ & perfecta dicitur, esse dolorem de peccato, vt est offensio Dei, tanquam de summo malo, cum proposito emendationis non peccandi de cetero: vt communiter Doctores docent. Vnde sequitur tot esse species Attritionis, quot modis contingit deficere ab hac perfectione. Prima ergo species sit, quæ quis dolet de peccato, & proponit abstinere propter damnum temporale: vt fur ob infamiam, vel mortem. Secunda, quando dolet & proponit abstinere propter turpitudinem peccati: idque dupliciter; vel quatenus peccatum est contra dictamen nudæ rationis naturalis, vel contra dictamen rationis fide illustratæ. Tertia, quando propter timorem gehennæ. Quarta, quando ob amissionem bonorum spiritualium; vt bonorum operum, gratiæ Diuinæ, & vitæ æternæ. Quinta, quando dolet quis de peccatis propter Deum dilectum amore naturali, id est, quatenus est auctor bonorum naturalium. Sexta, quando dolet propter offensionem Dei ex affectu supernaturali, sed non tanquam de summo malo; imò fortassis magis doleret de iactura bonorum temporalium vel fame, etsi hanc comparisonem non faciat. In his sex speciebus suppono adesse propositum absolutum emendationis, seu non peccandi in posterum; easque duntaxat deficere à perfectione Contritionis ex parte rationis dolendi, quia videlicet non dolent propter Deum ex affectu supernaturali, vel certè non supra quoduis aliud malum.

Contritio-  
nis imper-  
fecta, seu  
Attritio-  
nis, species,  
ex parte ra-  
tionis do-  
lendi.

Septima  
species ex  
parte pro-  
positi.

His addi potest septima species ex parte propositi; quando homo dolet propter Deum, sed non habet absolutum propositum abstinendi in posterum; verum tantummodò velleitatem quandam: qualis est plerumque vsurarium, meretricum, attritio, & eorum qui penitus sunt immersi peccatis. Verum autem solis naturæ viribus possit haberi absolutum propositum abstinendi in futurum, est alterius loci. Nunc supponamus id esse possibile, quamuis sit admodum difficile.

13.  
Differentia  
inter Attritio-  
nem &  
Contritio-  
nem.

Ex his facile est colligere, quomodo Contritio proprie dicta & Attritio differant. Differunt enim Primò: quòd Contritio procedat ex dilectione Dei super omnia; Attritio autem non procedat ex tam perfecto affectu benevolentiae erga Deum; sed vel ex affectu inferiore erga Deum, vel ex amore proprie salutis, vel pulchritudinis virtutis. Secundò: Contritio dolet de peccato tanquam de summo malo, ac proinde summe dolet, nempe appetitiuè: Attritio verò non sic apprehendit peccatum, tanquam summum malum. Tertio: Contritio dolet de peccato, quia est offensa Dei; id est, quia offendit eum, quem summe amare

& honorare debet: Attritio autem non respicit semper hanc rationem formalem; sed plerumque ob alias causas dolet. Et quamuis sit quedam Attritio, quæ etià ob hanc causam dolet, scilicet sexta species; non tamen ita perfecte dolet, sicut decet, de summo malo.

Ex his ulterius patet, Attritionem nunquam posse fieri Contritionem, cum obiecto formali differant, vel saltem modo in illud tendenti.

Attritio  
nunquam  
fieri potest  
Contritio.

D V B I V M. V.

Virum omnes ha Attritiones sufficiant, saltem cum Sacramento, ad iustificacionem?

**R**espondeo & Dico Primò: Certum est eam attritionem, quæ concipitur per auxiliu speciale ex consideratione turpitudinis peccati, vel metu gehennæ (& idè dico si ex amissione bonoru spiritualiu) cum spe veniæ, si voluntatem peccandi excludat, sufficere cum Sacramento Penitentiae.

Probatum Primò: quia hoc docet Concilium Trid. sess. 14. cap. 4. Vbi de hac attritione sic ait, Quamuis sine Sacramento Penitentia per se ad iustificacionem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Penitentia impetrandam disponit: (nempe ad gratiam iustificacionis, non ad contritionem, de illa enim apertè loquitur Concilium: hæc autem in ipso Sacramento impetratur, id est, per ipsum Sacramentum, ac proinde ex opere operato. Idem docent passim Doctores dist. 18. qui dicunt, Per Sacramentum penitentia ex attritio fieri contritum. Ita D. Thomas suprà qu. 86. art. 6. & in 4. dist. 18. q. 1. ar. 3. & ibidem Scotus, Durandus, Paludanus, & alij, præter paucos, qui contrarium sentire videntur, vt Bonauentura, Richardus, Gabriel, & Alexander. Sed hæc res post Concilium non potest esse dubia.

2. & 3. et 4.  
Species Attritio-  
nis, cum Sacra-  
mento suffi-  
ciunt ad iustifica-  
tionem.

Trident.

Scholasti-  
ci.

Probatum Secundò, Ratione: Primò, quia in lege naturæ, & veteri, sine Sacramento Contritio semper fuit sufficiens ad remissionem peccatoru: ergo in lege Euangelica, quando habemus Sacramenta quæ ex se sunt efficacia ad remissionem peccatorum, sufficit Attritio. Secundò: quia aliquin per Sacramentum nunquam absolueremur à culpa; sed solum declararemur esse absoluti, antecedente contritione; quod est erroneum: nam sic in Ecclesia nõ esset verè potestas remitti peccata; sed solum declarari esse remissa. Tertio: quia aliqui remissio peccati non esset facilior nunc, quam olim: quod est contra gratiam noui testamenti.

Ratio.

14  
5. species  
etiam suffi-  
cit.

Dico Secundò: sufficit etiam ea attritio, quæ ex amore Dei, & auctoris naturæ, per auxiliu speciale concipitur: vt dum quis dolet, quòd offenderit Deum, à quo tot beneficia humana & naturalia accepit, opes, honores, sanitatem, liberos, longam vitam, &c. Ratio est: quia hæc attritio magis accedit ad amicitiam Dei, quam illa superior, quæ ob metum gehennæ, vel turpitudinem peccatorum concipitur.

Dico Tertio, Sex species attritionis etiam sufficiens est cum Sacramento. Probatum, Quia est omnium attritionu optima & perfectissima, proximè accedens ad contritionem. Nam est ex affectu charitatis, sicut contritio, & est coniuncta cum absoluto & efficaci proposito emendationis. Solum autem differt à contritione, quòd contritio doleat de peccato, vt offendit Deum vt auctorem bonorum supernaturalium; tanquam de summo malo; adeò, vt si in particulari faceret comparatio-

15  
6. Species  
similiter  
sufficit.